

Sumptæ sunt illæ leges, per quas Constantinus sustulit pœnas legis Papiæ seu Julæ, iisque pœnis exemittam omnes inuuptos, quam etiam nuptos prole carentes Principia religionis semper summum influxum habuerunt in propagationem speciei humanæ. Interdum hæc principia propagationem promouerunt, ut apud Iudeos, Mahumetanos, Chebras, Sinenses. Interdum principia religionis propagationem impediuerunt, ut apud Romanos, postquam Christiani facti sunt Addit deinde etiam Sarcasum, dicens: *Non desierunt* (Patres haud dubie, quos ante irriserat) *prædicare Continentiam, hoc est istam virtutem, quæ perfectior est PROPTEREA, quod ex natura sua à valde paucis hominibus exerceri debeat.* Duplex hic irrissio. Primo perfectionem virtutis consistere in paucitate: sic enim etiam homicidium dicam perfectum, quia per naturam suam debet à paucis, imo à nemine exerceri. Adhæc prodit hic auctor, contra celibatum Christianum se loqui; non enim placent illi prædicationes continentiae. Quare? quia hæc virtus debet à valde paucis exerceri, idque ex natura sua. Itaque qui passim prædicant continentiam, agunt contra debitum & contra naturam propagationis speciei humanæ & contra legem.

Denique post alia plura semper de Christiano celibatu improbata, concludit: *Eadem ratio spiritualitatis seu perfectionis spiritus* (quam videtur tantum pro imaginaria habere auctor) *quæ spiritualitas fecerat permittere celibatum, paulo post imposuit necessitatem celibatus.* Hisque dictis mox subiungit illam excusationem: *Absit ut ego hic loquar contra celibatum, quem adoptauit religio.* Aut oblitus est auctor ejus halitus, quem mox ab ore emiserat; aut stultos nos existimavit omnes, qui de celibatu Christiano manifeste dicta habere debeamus pro dictis de celibatu non Christiano, sed fornicario.

148. Ex his conjecturam capias licet, quam parum fidei auctoris excusationes mereantur: quam parum solidi subfit ingenio huic eleganti & bello spiritui: quam recte dixerit Apostolus, *sapientia hujus mundi stultitia est apud DEUM*: Quam audacter cum heterodoxis iste auctor Christianam Religionem commodis hujus vitæ cum Puffendorffio substernat; quam bello ipsi cum Pagenstechero conveniat, qui principium juris totius naturæ positum in eo existimat: *Crescite & multiplicamini.* Quam proum sit denique ex hujus auctoris placitis eruere id ipsum, quod hetero-

terodoxi contendunt, Christianam Religionem ex Jure naturæ, & consequenter ex administratione reipublicæ eliminandam esse, hancque gerendam esse sola ratione, rationem autem in solis hujus vitæ rebus, in climate in nervis, in luto absorptam dominari; risui contra haberi qui zelo alterius vitæ ducti petant leges humanas tales ferri, quæ perfectionem virtutis non impediant, neque in respectu ad sola misera commoda hujus vitæ conquiescant, sed vel maxime rationibus æternis seruiant: præcipue, si eæ leges à Christianis Principibus feruntur, Christi seruis, tametsi hominum dominis.

III.

De Spiritu Legum quantum ad Religionem.

149. Auctor in Defensione sua censori suo vitio vertit, quod censor putaverit, Religionem Christianam & alias ab auctore tractatas fuisse tanquam à Theologo: Cum tamen ipse auctor in limine libri vigesimi quarti conceptis verbis professus fuerit, *se in hoc opere non esse Theologum, sed scriptorem politicum, & considerare diversas Reli-*

giones tantum in ordine ad bonum, quod pro statu civili ex illis derivatur.

Verum non omnis excusatio pondus habet. Sunt enim excusationes quædam excusationum in peccatis. Puffendorffius quoque prætexuit excusationem, suum jus naturæ tantum pertinere ad statum aliquem fictitium hominum, qualis neque sit, neque esse unquam possit; nihilominus tam ipse quam ejus discipuli præfracte contendunt doctrinas ipsius pro hoc moderno statu valere.

Wolffius quoque excusat, se per hoc, quod Jus naturæ abstrahendo à DEO statuat, non tollere necessitatem colendi DEUM; imo se eam necessitatem plane summam adstruere, adeo, ut naturam humanam exuere debeat, qui DEUM non colat. Sed & hæc excusatio vana est, quia necessitas talis Physica tantum est, juriq; naturæ extranea. Unde sequitur, eum nullam ostendere posse necessitatem moralem seu obligationem colendi DEUM, atque adeo Atheis lectulum sternere, & excusationem necquicquam valere.

Idem huic auctori accidere, atque rursus protestationem actui contrariam eum facere, quæ nihil operetur, jam ostendendum est, hæcque excusatoria arx e-

vertenda, ne sub ea se muniant ii, qui abuti auctoris doctrinis falsis & fallacibus volent.

150. Quid scriptori in aliquo libro propositum fit, ex titulo maxime libri, quemadmodum ex hedera vinum cognoscitur; nisi doloso forte titulo occultos suos fines abscondat. Titulum vero auctor huic libro Vigesimo quarto præfixit omnino talem: *Des Loix dans le rapport, qu'elles ont avec la Religion considérée dans ses dogmes & en elle-même*, hoc est: *De Legibus in respectu quem habent ad Religionem CONSIDERATAM IN SUIS DOGMATIBUS ET IN SEMETIPSA*. Auctori igitur propositum in hoc libro est, religionem explorare in suis dogmatibus & in ipsamet religione: & tamen aliquot lineis post ait, se in hoc opere non esse *Theologum*, sed *politicum*. Qui dogmata & religionem in se ipsa examinat, mihi quidem videtur Theologus esse, aut temerarius turbo. Vid. infra Num. 189. ubi apparet, ipsum agere Theologum, sed hæreticum.

151. Sed alteram mox paratam excusationem habet: Theologum esse illum, qui dogmata & religionem exquirat in respectu ad *veritatem*, sive an *vera* sit religio; Politicum autem esse eum, qui dogmata & religionem non

examinat in respectu ad *veritatem*, sive non attendit, an sit *vera*, an *falsa* religio, sed an *conducatur* statui civitatis qualiscunque?

Se igitur ait non esse Theologum, non attendere an religio aliqua sit *falsa*. Sibi perinde esse, *vera* an *falsa* sit. Respectum legum ad religionem non in hoc consistere, ut *leges* *veritati* commensurentur, posse enim etiam commensurari *falsitati*, modo sit utilis *reipublicæ*. Spiritus autem legum consistit in hoc respectu, quem habent *leges* ad religionem *cujusque* *populi*. Igitur spiritus legum consistit in respectu tam ad *verum* quam ad *falsum*, tam ad *bonum* quam ad *malum*, tam *summam pietatem* quam ad *summam impietatem*, tam ad *DEUM* quam ad *diabolum*. Viginti annorum labore non erat opus ad hunc spiritum *paraclitum* *politicis* & *Atheis* mittendum. Dixisset auctor uno verbo cum *Puffendorffio*: religio quatenus *vera* est ad alteram tantum vitam pertinet, nos *commoda* tantum hujus vitæ pro lege & summo bono naturæ nostræ habemus: Quæ supra nos nihil ad nos. Sitne aliquis *DEUS*, providentia regat mundum, præmia bonis constituat, nihil refert, *vera* illa an *falsa* sint, nos legum spiritum nos

nos jus naturæ sanum invenimus in utilitate religionis ad *commoda* hujus tantum vitæ.

Et observes velim lector, *pesteriferum* *sophisma* sub hac excusatione latere: Hoc enim vult dicere: De *DEO*, de *veritate*, de *futuræ vitæ acquisitione* tractare ad *Theologos* pertinet. Ego *Theologus* non sum. Ergo ad me non pertinent ista.

Sophisma hoc esse statim apparet, si in simili formetur argumentum. Dicet enim aliquis è *civitate caupo*: De *DEO*, *veritate*, *futuræ vitæ acquisitione* tractare ad *Theologos* pertinet: Ego *Theologus* non sum: Ergo ad me non pertinent ista: Ego caupo *vina* *madentia* *vendam*, *Cælum* *Theologis* relinquam.

Multiplex hic *sophisma* latet, ex quibus id solum jam noto: *Cauponem* in hoc suo *pingui* *ratiocinio* ea, quæ *speculative* & in *solis ideis* forte separari possunt per *fictionem* *intellectus*, reipsa in *praxi* separare. Quod *sophisma* *Naturalistæ* nostri temporis familiare sibi fecerunt, utut *crasum* & *macello* potius quam *scholis* conveniens. Id ipsum adoptavit *elegantis ingenii* hic auctor, *cujus* nos miseret.

Eadem ratione *Athenienses* abominati sunt doctrinam *Socratis*; quia *Socrates* *Theologus*

erat, ipsi non erant *Theologi*, ad ipsos *divina* non pertinebant. Morere *theologe* *Socrates*: inter *cives* tibi locus non est.

Eadem ratione *Petrus*, *Paulus*, *Thomas* & *infiniti Martyres*, *Theologi* meliores quam *cives* missi sunt in *vitam* alteram, ubi *Theologiam* *speculari* ad *faciem* possent. Fuisset *Petrus* *politicus*, fuisset *politicus* *Paulus*, dixisset *Præsidibus*, bonos *cives* vobis faciam & felices in *epulis*, in *vestibus* *trabeatis*, in *pecore* & *amentis*, in *auro*: potuisset adhuc *decem annos* hac *felicitate* frui. At nunc quia *politicus* non fuit, & non erubuit *præsidibus* dicere: *volo omnes esse sicut me ipsum*: debuit ex hac *societate* dimitti ad eam, quam *quærebat*. Quid minus *politicum* *Petro*, qui *Concilio* dicere in *faciem* sustinuit: *Opportet obedire DEO magis quam hominibus*. Id genus *homines* *barbari* sunt: *Theologia* *barbara* est.

152. Addit mox auctor *Capite* primo hujus libri *XXIVti*. „ Possunt in hoc opere inveniri res aliquæ non ex toto veræ nisi in modo cogitandi humano, eo quod non sint consideratæ in respectu ad veritates sublimiores.

Fatetur ergo *falsa* circa *Religionem*, se forte hic dicere. Ex falso

falso autem verum tantum per accidens sequitur, non ex intentione & vi præmissarum. Igitur si reipsa falsa præmittit auctor, per accidens tantum vera possunt esse ea, quæ inde deducit, & lector in eas syrtes incidere, quas eum in hoc auctore omni momento timere debere dudum monuimus.

153. Bello etiam ingenio convenit, sed non solido illa distinctio veritatis. Quod humano modo cogitatur, si *ex toto* (entièrement) *verum* est, haud dubie congruit etiam veritati sublimi. Una est veritas. Modus eam patefaciendi & materia diversa sunt. Sumamus auctoris verba ambigua in hoc sensu, ut dicat, se hic talia dicere quæ omnia ex toto vera sint, quatenus veritas *ratione sola* naturali manifestatur ac cognoscitur: Possit tamen aliqua in libro suo inesse, quæ non omnino vera sint, quatenus veritas ex *revelatione* hauritur, itaque se posse interdum contra revelationem aliqua docere: hoc tamen haud magni momenti esse, neque sibi vitio verti debere, eo quod ipse non sit Theologus, sed Politicus. Ad Theologum pertinere, ut nihil dicat contrarium revelationi: Politici autem nihil referre seu conveniant revelatæ veritati suæ

doctrinæ, seu eidem repugnent: Revelationem ad Politicam, ad statum civilem, ad rempublicam non pertinere: rempublicam sola ratione humana administrari. In hoc consistere spiritum legum, ut leges habeant respectum ad Religionem, sed, revelatione exclusa, tantum naturali cujusque ratione fabricatam.

154. Pictis ergo verbis auctor elegantis ingenii idem dicit quod antecessores sui naturalistæ sine alio furo pronuntiaverant, nempe animam legum, Jus naturæ, justitiam sola ratione, exclusa auctoritate præcipue revelata ac divina, stare: Res autem publicas quascunque administrandas esse jure naturæ: Itaque in reipublicæ cujusunque administratione nequiquam attendendas regulas religionis, præcipue sedulo excludendas esse regulas revelatas.

155. Pergit texere excusationes: „ Qui vel minimum æquitatis habet, videbit, me non „ postulare, ut interesse religionis cedat interesse Politicæ; „ sed ut ea uniantur: Atqui ut „ uniantur, opus est ea cognoscere. „ Videri itaque vult se hoc libro id acturum, ut lector cognoscere possit, *quid interfit*

terfit religionis, & quid interfit Politicæ?

Quam vero idoneus ad hoc sit auctor, ipse edixit: nam *Religionis*, ni fallor, *interest Veritas*, adeo ut quæ falsa est religio non religio sed superstitio, impietas, hæresis sit. Atqui auctori veritas in religione curæ non est, sed tantum utilitas civitatis. Itaque auctor non est idoneus ad docendum, quid interfit religionis.

156. Deinde manifestum est, statim in hoc initio ipsum interesse religionis subjicere & postponere interesse politico. Nam profitetur se Theologum non esse, & *Spiritum legum* non ponere in veritate religionis, sed in utilitate temporali. Igitur veritatem postponit utilitati temporali, quia eam pro spiritu legum habet tametsi veritas absit, tanquam res ad spiritum legum supervacua. Veritas autem interesse religionis, & utilitas temporalis est interesse politicæ: Ergo auctor interesse religionis postponit interesse politico: & doloſam excusationem texuit, qua seducat lectorem, ut is credat, doctrinas auctoris cum veritate religionis conciliari posse: id quod tamen auctor nunquam intendit, sed voluit cuicumque superstitioni portam aperire, modo temporaliter utili. Et huc

etiam spectant ea quæ de ipsius toto scopo initio diximus. Auctoris enim in toto opere scopus est, ut quisque in superstitione, in qua jam est, perseveret, atque adeo ut indifferentiam in religione sicut in omnibus aliis rebus inducat. Ait enim in præfatione *se beatissimum omnium mortalium futurum*, si omnibus hominibus possit suggerere novas rationes amandi suum statum in quovis loco &c. verus sit an falsus, bonus an malus, non refert. Et auctoris *novæ rationes* in hoc consistunt, ut ostendat, spiritum legum etiam ubi refertur ad religionem non nasci ex veritate religionis, sed ex ejus utilitate. Cum igitur ostendat, Mahumeticam superstitionem Asianis utilem esse, imo necessariam, quia clima non aliam patitur, satis novas rationes suggestit Turcis ad amandam suam superstitionem, tametsi eam falsam agnoscerent. Nam utrum falsa sit ad Theologos pertinet, adque alteram vitam, non ad hanc. In altera vita disputabunt de veritate religionis, in hac vita utilitate & felicitate fruentur. Et hic est *modus uniendo interesse religionis cum interesse politico*.

157. Capite tertio jamjam exferit unguis & pessima principia
I in

in usum deducit auctor. Titulus capituli est hic: *Quod regimen moderatum melius conveniat religioni Christiana, & regimen despoticum religioni Mahumetana.*

Auctor, qui semper versatur in respectibus, & nullibi explicat eorum naturam & vim, id etiam facit hoc loco, & ancipites ubi vis laqueos tendit. Est inter religiones & inter regiminis modos quaedam *convenientia*, quidam respectus. Quis ille? an regimen regulandum est secundum religionem? Hoc non potest velle auctor, qui in hoc opere se non Theologum, sed politicum profitetur, hoc est, qui non cupit religioni imperium & superioritatem aliquam asserere, sed ex ea utilitatem civitati emulgere, & consequenter, si inutilem regimini huic invenerit, eam reprobare. Non vult religionem excellere, sed servire. Non vult utilitatem status cedere veritati religionis, sed, veritate insuper habita, vult religionem utilitatis tantum causa haberi in consideratione. Veritatem Theologi considerant & laudant religionem veram, tametsi inutilis statui appareret. Utilitatem considerat hic politicus & laudat religionem utilem huic vitæ, tametsi falsa appareat. Igitur huius auctoris titulus mox descri-

ptus non potest sic intelligi, ut religio sit convenientiæ regula sibi que subordinans regimen despoticum aut moderatum; sed regula religionis est regimen, & hac regula in ordinem redigitur religio: & ad fallendum tantum incautos, titulum hoc modo expressit.

158. Ponitur itaque pro Principio Regimen Despoticum Turcarum, & quæritur deinde, quænam religio sit sequenda Turcis? an possint amplecti Religionem Christianam? Negat auctor, quia religio Christiana non convenit statui Despotico Turcarum. Idque, quod auctor supra (Num. 140.) de moribus non mutandis dixerat, hæud dubie nunc etiam de Religione sentit, quamvis non audeat ita crude profiteri. Regulam enim maximam & capitalem dederat hanc: *In moribus nihil esse immutandum: certo enim certius securam esse Revolutionem hoc est mutationem status Politici.* Quia mores hi conveniunt huic regimini, alii alteri. Ita pariter Religio Mahumetana convenit statui despotico Turcarum; mutanda nequiquam est, eaque debet esse regula capitalis; quia certo certius mutaretur status despoticus.

159. Hic insurget auctor, meque stolidum criminatorem dicet,

cet, se in principio sequentis capituli quarti è diametro opposita clare docere. *Attento caractere Religionis Christiana & Mahumetana absque alio examine debet altera recipi, altera rejici. Quia multo evidentius nobis est, religionem debere mitigare mores hominum, quam eandem debere esse veram. Infortunium est Natura humana, quando religio datur à victore. Religio Mahumetana, quæ non nisi de gladio loquitur, eodem Spiritu destructore, quo fundata est, adhuc agit in homines &c.* Auctor igitur conceptis verbis docet, Religionem Mahumetanam relinquendam & rejiciendam esse, assumendam autem religionem Christianam.

Nempe hic valet Horatianum illud: *Purpureus, late qui splendeat, unus & alter assuitur pannus, ne sordes reliqui centonis nimium sub oculos cadant.*

160. Equidem hæc hoc loco dicit auctor, sed ut bellam tantum personam sibi circumponat fallatque incautos. Ex ejus principis id non sequitur: non dixit serio: alia est ejus intentio ac scopus. Puffendorffus quoque dixit, jure naturæ colendum esse DEUM; sed ex principis ejus nihil tale sequitur, dixit hoc ad declinandam irreligionis infamiam.

Nam ex huius nostri auctoris scopo quilibet debet *amare suum regimen, suum statum &c.* Non debet amare id quod melius est, sed quod suum est, qualecunque sit; & ad hoc faciendum si potest auctor novas rationes omnibus hominibus suggerere, omnium hominum se beatissimum existimat. Turcæ igitur debent amare suum regimen, non pro infortunio habere, quia est regimen suum. Et cum hoc regimine convenit religio non Christiana, sed Mahumetana. Turcæ igitur Mahumetanam debent amare, non rejicere: nam si rejicerent, statum despoticum, quem debent amare, everterent.

161. Atque hæc ita sequuntur, supposito quod possint Turcæ mutare religionem. At auctor docet, eam non posse mutari. Nam imprimis Asiatici in *Religione sunt immutabiles*, quia clima eos fecit incapaces ad omnem animi conatum, ut supra docuerat auctor (Num. 93.) Deinde clima posuit terminos Religionis Christianæ & Mahumetanæ, ne hæc poscit penetrare in Europam, illa in Asiam.

162. Quapropter illa auctoris excusatio & fucus qui prima fronte apparet tam certus, non est nisi admodum anceps. Po-

test enim tantum intelligi de Europæis, quamvis verba loqui videantur de omnibus hominibus. Sic tantum potest illud caput intelligi: Agnito caractere Religionis Christianæ & Mahumetanæ sine alio examine altera debet recipi ab EUROPÆIS, altera ab ASIANIS; altera debet ab ASIANIS rejici, altera rejici ab EUROPÆIS. Quia Europæi debent amare regimen suum moderatum, & eam religionem, quam clima his terminis inclusit: diversam vero, & cujus caracter natus est in climate extraneo, debent rejicere nempe Mahumetanam. Contrà Asiatici debent amare suum regimen despoticum, & religionem huic regimi convenientem, huic climati propriam: debent autem rejicere Religionem Christianam, cui limes Asiaticus aditum præcludit, & regimen despoticum cum ea non concordat. Quare denique ad nihilum abit auctoris hæc excusatio, & Religioni Christianæ ibi tantum accessum facit ubi regimini ea convenit, ubi moribus; ubi clima eam non excludit, ubi utilis est. Utilitas regula est universalis voluntaria: clima regula est universalis naturalis & necessaria. Veritas ad alteram vitam pertinet. Nihil illi cum hac nostra. In cælo regnet & obsequium sibi paret

quantum volet: *Terram autem dedit filiis hominum*, ut humana id est carnea tantum sapiant, sequantur & ament.

163. Præterea Capite XIV. hujus libri XXIV. mentem suam exponit clarius, cum inquit: *Religio & leges civiles debent PRINCIPALITER ad hoc tendere, ut homines fiant boni cives.* Civilis itaque status & ejus utilitas est principale momentum, è quo religionis acceptibilitas pendet, & regulam suam accipit. Turca non esset bonus civis, si regimen moderatum cuperet: igitur nec erit bonus civis, si Christianam Religionem affectaret. Christiana enim religio bonos cives principaliter debet facere, sed tantum in regimine sibi conveniente nempe in moderato, non in despotico. Igitur hæc non habet locum in Turcia, sed in Europa tantum.

164. Et hic rursus apparet, ab Auctore Religionem etiam veram subordinari politicis utilitatibus, etiam falsis. Non enim potest negare, utilitates despotismi & Tyrannidis non esse veras utilitates societatis humanæ: & tamen sine discrimine vult, ut religio principaliter tendat ad bonos cives faciendos in quocunque statu, etiam despotico, & ut religio in hoc scopum suum præcipuum

puum ponat. Cetera ergo, nempe veritas, justitia, DEI voluntas, summum bonum, vita æterna, sunt accessoria. Fefellit ergo Christus, qui nos jussit *querere PRIMUM regnum DEI*, de ceteris autem dixit: *hæc omnia ADJICIENTUR vobis.* Sed nempe hæc dicta sunt ad Christianos ut *Christianos*: ut homines, ut cives principaliter debent querere felicitatem hujus vitæ, opes, regnum, commoda: & ad hoc querendum principaliter instituta est religio haud dubie etiam Christiana. Itaque religio ut *Christiana* ex mente Christi debet principaliter querere regnum DEI cetera pro accessariis habere: eadem religio ut *Christiana* ex mente auctoris spiritus legum debet principaliter querere non regnum DEI, sed regnum hujus mundi: debet pro accessariis habere, non utilitates hujus mundi, sed regnum DEI & futuram vitam.

Atque hoc hujus capitis dicto præcludit sibi auctore excusationem in reliquis. Possent enim dicere, nos maligne interpretari hinc inde à se dicta. Debuisset nos in mitiorem partem trahere ambigua. Debuisset nos dicta quædam obscure exponere per alia clarius ac præcise dicta. Nihil puto clarius hoc capite, nihil magis præcisum. Religio Prin-

cipaliter debet ad hoc tendere ut bonus civis efficiare, id est bonus socius, non alterius haud dubie vitæ, sed hujus: itaque hæc societas est finis religionis. Hæc claritas lucem affundit ceteris, quæ auctor de religione. Solent Naturalistæ Religionem excludere ex hac vita & negotiis societatis, quia dixerit Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Hic auctor Christum, à Puffendorffio ejectum in exilium, iterum recipit & postliminio restituit. Christi doctrina debet esse de hoc mundo, non tamen ut regnum sed ut mancipium, ut capite iterum minutum.

165. Capite XIX. hujus Libri XXIV. sic incipit: *Dogmata verissima & Sanctissima possunt habere pessimas consequentias, si non colligentur cum principiis societatis.* Et in titulo Capitis dixerat: *Non tam veritas, aut falsitas facit Dogmata religionis utilia aut noxia hominibus in statu civili, quam usus aut abusus eorum.*

Parum solidæ locutiones, quantumvis belle tornatæ. Veritas semper bona est, ex bonitate nunquam sequitur malitia; sed si qua sequitur, sequitur ex malo, nempe quando malum pro bono habetur: id autem non est *verum* bonum, sed *apparens* bonum & *verum* malum: ex malo autem ve-

ro & apparenter tantum bono sequitur naturaliter malum, ut ex malo corvo malum ovum.

166. Exempla quæ in hanc rem attulit auctor, idem evincunt. „ Confucius negat immortalitatem animæ: Secta „ Zenonis eam non credebat. „ Et quis crederet, utraque hæc „ secta ex malis suis principiis „ consequentias deduxerunt non „ quidem justas, sed admirabiles „ pro societate. Secta Tào & Foë „ credit immortalitatem animæ: „ sed ex dogmate tam sancto de- „ duxerunt consequentias hor- „ rendas. „ Haud dubie pro „ societate horrendas. Occisio „ sui, & cura hujus tantum mundi „ non sequitur ex immortalitate „ animæ, quæ vera & bona est: sed „ ex inordinato amore sui & su- „ perbia. Nemo enim ex hac pro- „ positione: *Immortalis est anima „ mea: potest educere hanc con- „ sequentiam: ergo occidam me.* Oc- „ cisio enim non continetur in im- „ mortalitate: cum anima sit im- „ mortalis tam in corpore, quam „ extra illud. Igitur ex immorta- „ litate animæ æque educi & infer- „ ri potest vita corporea, quam „ vita sine corpore.

167. Cur autem aliqui immor- „ talitatem credentes proni fue- „ runt ad necandos semetipsos? „ non quia immortalam animam

habebant, ideo se occidebant; „ quia habuissent animam immor- „ talem etiam usque hodie in cor- „ pore viverent: Sed ideo, quia „ refugiebant aliqua impedimenta, „ aliqua gravia, aliquos dolores „ vitam corpoream comitantes: „ nolebant esse his subditi: super- „ bi erant, ac Deo sic res huma- „ nas ordinanti resistebant. Hoc „ autem magnum & verum malum „ est, unde potuit ac fere debuit „ sequi alterum malum nempe in- „ terfectio.

168. Adde quod ad ejusmodi „ abusus & ejusmodi mala societa- „ tis & vitæ humanæ egregie ma- „ nuducunt principia hujus aucto- „ ris & magistri ejus Puffendorffii. „ Nam isti docent, omnes regulas, „ quibus animus humanus regitur „ & ordinatur, *principaliter* debere „ ad hoc tendere, ut homo sit felix „ & commode vivat in hac vita. „ Ad hoc enim solum juxta Puffen- „ dorffium totum Jus naturæ, id „ est tota regula naturæ humanæ „ ordinatur, hocque pro fine ulti- „ mo & summo bono habet: ad „ hoc ipsum juxta auctorem spiri- „ tus legum *principaliter* debet or- „ dinari religio, ut civilis vita sit fe- „ lix, hoc est dulcis, commoda & „ quæ amari valde possit: nisi enim „ valde amanda esset, non se bea- „ tissimum omnium putaret auctor, „ si invenire novas rationes ad „ eam

eam amandam posset. Nostri „ doctores se beatos putant, si pos- „ sint invenire novas rationes ad „ vitæ hujus commoda contem- „ nenda & cor ab illis abstrahen- „ dum; contra ad amandam vitam „ aliam, eamque huic præponen- „ dam, quia meliorem, sanctiorem, „ veriorem, justiorem, & quæ „ *principaliter* à religione & à vera „ politica sit attendenda. Contra- „ ria omnia facit auctor spiritus le- „ gum cum Puffendorffio.

169. Sed his jam suppositis & „ supposita immortalitate videamus „ quam proni fluant abusus „ terribiles ex hac doctrina. Nam „ statuamus in medium aliquem „ in suo genere devotum Turcam. „ Hic ex principiis Puffendorffii & „ auctoris spiritus legum agnoscit, „ suas leges civiles & suam religio- „ nem ad hoc principaliter debere „ tendere, ut ipse bonus civis sit, „ ut amet patriam suam, regimen „ suum, statum suum. Amoris „ autem objectum in suo statu non „ est quilibet à felicitate alienum, „ sed felicitas ipsa hujus status & „ hujus vitæ in sua regione, quam „ felicitatem amandam novis ratio- „ nibus persuadere auctor vult. „ Turca ergo talis dicet: libenter „ amabo statum meum, id est hanc „ vitam, si in eo deprehendero ra- „ tionem formalem amoris, hoc est „ bonitatem, quam in felicitate po-

fitam esse semper dicis. Quodsi „ vero felicitatem in hac vita non „ invenero, te quoque judice non „ potero amare hanc vitam. At „ ego Turca invenio in statu meo „ mille infelicitates. Nam in re- „ ligione mea non est ullo modo „ concessum uti ratione, qui usus „ moderatus esset rationis aliqua „ felicitas. In vita civili mea non „ est concessum ullo modo uti li- „ bertate, quæ est naturæ humanæ „ aliqua felicitas. Non est con- „ cessum propria habere bona hu- „ jus mundi, divitias, honores, non „ filios proprios, non corpora de- „ nique & caput proprium: omnia „ sunt Principis & ego sum jumen- „ tum & mulus & camelus & canis „ Sultani. Nulla felicitas homine „ digna in me reperitur. Non pos- „ sum amare hanc vitam. Credo „ autem superesse aliam felicem, „ hisque malis carentem, ad quam „ etiam natus, factusque sum. Igi- „ tur abibo quantocius ad illam ad „ quam sum natus, relinquam au- „ tem hanc, ad quam non sum na- „ tus, sed violentis civilibus legi- „ bus & violenta religione legibus „ ferviente sum subactus.

170. Accurret forte auctor „ spiritus legum & dicet: quiesce „ o bone Turca: ecce ego attuli „ tibi novas rationes, quibus per- „ suaderi possis amare hanc vitam „ tuam.

Quæ-

Quæret Turca quæ sint illæ rationes?

Respondebit auctor spiritus legum: Attende. Ego tibi ostendo *spiritum legum*, & cum hunc ostendo, & cum per eum tibi suggeruntur novæ rationes ad amandum tuum statum, ego me beatissimum omnium mortalium existimabo. Fac me, oro, beatum, & statum tuum ama ac felicitatem, propter spiritum legum, quem tibi monstravi.

Instabit Turca: edic Sodes, quis est iste spiritus legum?

Respondebit auctor spiritus legum: Lege definitionem meam duas paginas longam, duæ paginae sufficiunt ad spiritum legum tibi describendum. Consistit enim spiritus legum in mille *respectibus* præcipue autem ad *clima*. Non agnoscis clima tuum? Tuum clima, dicam tibi hoc in aurem, allongavit fibras tuas & cutis papillas laxavit; quanta felicitas! Tuum clima fecit te incapacem ad omnem conatum animi; quanta felicitas! Tuum clima fecit cutem tuam expetere multas uxores; quanta rursus hæc felicitas! Tuum clima fecit tibi idoneum esse regimen despoticum & religionem Mahumetanam; felicitas hæc quanta! Tuum clima fecit te naturâ servum, mancipium, jumentum, & asinum; ô

quanta denique hæc felicitas! qua majorem nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Stultus es plane nisi tantam felicitatem unice ames & in eadem unice depereas! Fac hoc, oro te, & ego quoque beatissimus præ omnibus mortalibus ero. Quodsi tibi mortem inferes, omnibus his felicitatibus in hac vita summis & maximis, ad quas indispensabiliter es natus, uno te momento spoliabis infanus.

171. Quid, quæso vos, huic homini responsurus est Turca? Nempe dicet: Tu me jubes amare *felicitatem*, hoc sumo pro certo. At felicitatem dicis esse in mea hac vita & statu, in quo me ipsum invenio. Hoc quidem mentiris; quia *experior* miseras hujus status. Igitur experientia docente, & felicitate trahente quæram aliam vitam felicem, quam credo tecum. Mors autem est medium ad finiendam hanc falsam hujus vitæ felicitatem & veram miseriam, & ad adipiscendam felicitatem veram. Igitur ex tuis legibus, qui vis felicem me esse & felicitatem amare, me occidam statim. Nam si me *vere* esse felicem vis, vere felix ero in altera, non hac vita. Si autem falso felicem esse jubes,

apa-

apage & tu & spiritus tuus nequam legum in malam crucem.

Ostendimus quam malis principiis constet fictus hic spiritus legum. Pauca etiam alia de eodem adhuc sunt exponenda: nam omnia excutere laqueorum ubique tensorum copia vetuit.

172. Capite VI. reprehendit Baillium, qui Consilia Christi non distinxerit ab præceptis Christi, & addit, ut politicus nescio, an ut Theologus: *Cum Legislator in locum legum dedit consilia, hoc ideo factum est, quia vidit, sua consilia, si tanquam leges statuerentur, fore contraria SPIRITUI LEGUM suarum.*

Consilia igitur evangelica paupertatis, obedientiæ, castitatis si quando præcipiantur contraria sunt *spiritui legum Christi*, hoc est spiritui sancto.

173. Quid intelligit auctor per spiritum legum Christi? Cur nuppiam illum, quoad sciam, definit? Credo quia spiritus legum Christi ex mente auctoris non est alius quam *Spiritus ille legum*, quem auctor definivit consistere in respectibus ad clima & terram, ad mores hominum & ad religionem quidem, sed ita, ut religio *principaliter* tendat ad statum civilem seu politicum. Igitur Spiritus Christi legum hic est, ut principaliter ordinentur ejus leges ad politicam & felicitatem

hujus vitæ. Hoc hætenus ignoravimus nos. Hoc ignoravit hujus magister Puffendorffius, qui pronuntiavit spiritum legum Christi consistere in hoc, ut ii qui de felicitate hujus vitæ desperant, spem suam unice reponant in altera vita, quam quibusdam persuasionibus & suspicionibus præcipiunt.

174. Examinemus decisionem auctoris in hac hypothesi, quod is credat, spiritum legum Christi consistere in principali subordinatione ad felicitatem societatis civilis. Quod si igitur Christus consilia evangelica præcepisset, ipsius consilia contraria essent spiritui legum Christi, hoc est felicitati civitatis, cui subordinari debent leges Christi. Civitas ergo in qua omnes voluntarie pauperes essent, omnes obedientes, omnes casti, non posset subsistere aut saltem felix esse non posset.

Et Plato quidem post Socratem existimavit, civitatem felicem futuram, si omnes cives sub quercu sua glandibus suis vescerentur, & de vite sua biberent residentes super foliis arborum & sæno. Illam autem civitatem infelicem esse & morbidam, in qua divitiæ, & commoditates & commercia regnent, & militia, & latus circa dominatus. In republica quoque Lacedæmonum

K

NON